

Franckesche Stiftungen zu Halle

Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Euchariastia

Forbes, William

Helmstadii, A. MDCCIV.

VD18 11391456

Caput. I. De certitudine & incertitudine gratiae seu iustitiae praesentis.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598

Ad Librum Bellarmini Tertium,
de Justificatione,

Qvo lites de incertitudine, mutabilitate,
& inaequalitate justitiae consi-
derantur.

Pag. 93.)

CAPUT. I.

*De certitudine & incertitudine gratiae
seu justitiae praesentis.*

Vtinam plerique utriusque litiganti-
um partis magis satagerent per bo-
na opera suam vocationem & ele-
ctionem certam & firmam facere,
sicut monet B. Petrus 2. ep. 1. 10.
quam de certitudine utriusque, mensura & gra-
du, ad fovendum triste schisma hodiernum, ni-
mis anxie & contentiose disputarent. Sed hoc
infelici rixarum, & contentionum admodum
ferace, pietatis autem & justitiae sterili seculo,
plerique magis amant inaniter & inutiliter alter-
cari, quam utiliter & fructuose operari. Mart.
Eisengrenius, academiae ingolstadiensis quon-
dam procancellarius, in vestibulo libri sui
apologet. pro Concil. trid. de certitudine gra-
tiae (cujus tamen hac de re sententiam multo
mitiorem esse, quom multorum aliorum grega-
lium, judicant Protestantes) affirmat, ex hoc
unico articulo, quamvis minutus a plerisque re-
K
puta-

putari queat, universum papatum & lutheranissimum dependere. Pag. 94.) M. Lutherus in cap. 41. Gen. *Etiamsi*, inquit, *nihil praeterea peccatum fuisset in doctrina pontificia, quam quod docuerunt, nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostra, iustas tamen haberemus causas, cur ab ecclesia infideli nos sejungeremus.* Vide Chemnit. in Exam. concil. trid. de Fide iustif. p. 165. aliosque fere utriusque partis innumeros. Sed nos omnia, seposito omni partium studio, tanquam in Dei ipsius conspectu, paucis discutiamus.

Non quaeritur de certitudine finalis perseverantiae, ac proinde non de certitudine electionis nostrae, quia de re infra, *sed de certitudine gratiae seu iustitiae praesentis*; permulti enim Protestantes, ut p. 112. dicemus, illa negata, hanc tamen constanter tuentur. Neque quaeritur, an possit homo fidelis certo, immo certitudine, fidei statuere, sibi remissa esse peccata sua, si modo eidem certo atque eadem praedicta certitudine constet de vera & seria sua poenitentia: quis enim sanae mentis hoc neget? Vide Bellarm. de Iustif. lib. 3. c. 2. p. 344. *Non enim hypothetice, sed absolute, hodie inter plerosque utriusque partis de certitudine iustitiae controversa magna contentione disputatur, ut inquit ille ibidem.* Neque etiam quaeritur, an omnis omnino propria & peculiaris applicatio, quia quis fidelis ita apprehendat generales verbi divini promissiones, ut sibi etiam certo confidat vel speret remissa esse peccata, illicita sit?

ta sit?

ta sit? Neque enim Romanenses ipsi negant, (vide Bellarm. loc. cit.) certam fiduciam in Deo collocandam esse, & certo confidendum, post actam legitime poenitentiam, & sacramentum baptismi vel absolutionis rite perceptum, remissa esse peccata, ut proinde male Chamierus de Fide lib. 13. affirmet, Bellarminum (cui adjungit Coste- rum) videri sibi impugnare cum omnem applica- tionem propriam, tum etiam certitudinem ejus applicationis, negare autem plerosque alios Romanenses tantum applicationis certitudi- nem, non vero omnem omnino applicationem peculiarem. Quod enim scribit, *Bellarminum* lib. 1. de Justif. c. 8. *negare prorsus, fidei justificantis obiectum esse specialem misericordiam*, id totum ad applicationis certitudinem spectat: Pag. 95.) disputatio enim tota est, non de applicatione, sed de applicationis certitudine, ejusdemque mensura & gradu.

Communior Romanensium hac de re senten- tia negat certitudinem fidei divinae, iusto, de sua justificatione, citra speciale revelationis privile- gium, libenter tamen admittit ex vivae fidei sen- su, seu charitatis & bonorum operum experi- mento, certitudinem aliquam minoris & inferioris gradus oriri, quae *conjecturalis & probabilis* nominari possit, & quae, licet non omnem for- midinem pellat, tamen omnem tollat anxietatem & haesitationem, & ipsam etiam dubitationem, si dubitatio sumatur pro mera animi fluctuatione sine ullo assensu, quae sola apud philosophos

nomen *dubitationis* proprie obtinet. Ideoque quando de aliqua aliqui Romanenses dubitatione loquuntur, non aliud intelligunt, quam quandam formidinem, quae in omni assensu, etiam certo, qui non sit infallibilis aut evidens, reperitur, & late *dubitatio* vocatur. Vide Bellarm. lib. 3. de Justif. c. 3. p. 349. Negant igitur, quia docent, *fideles non habere certitudinem fidei de sua iustificatione*, inde sequi, *iubere se fideles semper dubitare*, (vid. p. 99. 112.) & anxie haesitare de sua cum Deo reconciliatione, quemadmodum rigidiores Protestantes illis impingunt, quia datur aliquid medium inter haec extrema, scil. certitudo quaedam moralis, ex parte intellectus, & spes ac fiducia, ex parte voluntatis, ut loquitur Bellarm. loco citato. Recte Remonstrantes in sua nupera Apol. (licet ejusdem p. 215. profiteantur, se dubitationem pontificiam de salute propria, & conscientiarum carnificinam, ita caeterorum rigidiorum Protest. more loquentes, minime asserere) de re alia loquentes, p. 7. ajunt: *Inter dubitationem & divinam assertionem, humana certitudo media est; quae, etsi formidinem contrarii (cum dubitatione scil. conjunctam) excludat, infallibilitatem tamen divinam non includit.*

Progrediuntur quidam alii Romanenses ulterius, & certitudinem aliquam aliam, minorem quidem certitudine fidei divinae, conjecturali tamen majorem, quam *certitudinem moralem* appellandam censent, admittunt. Affirmant enim (vide p. 112.) posse, immo etiam solere, praefertim

tim homines spirituales & perfectos (scil. secundum statum viae) ad eam certitudinem seu securitatem venire, ut nullam habeant de sua iustificatione formidinem; *plane ad eum modum*, (verba sunt Bellarm. de Justif. l. 3. c. II. p. 364.) *quo credimus sine ulla haesitatione & formidine deceptionis, Romam fuisse & esse, & Caesarem in Italia aliquando regnasse.* Pag. 96.) Dom. a Soto ab hac

sententia non abhorruit in Apol. contra Cathar. cap. 2. neque etiam Greg. de Valentia disp. 8. q. 5. p. 4. tom. 2. neque* Carthus. in I. sent. d. 17. q. 5. & 10. referente Suarezio de Gratia lib. 9. c. II. n. I. Sed Andreas Vega disertè tuetur de Justif. lib. 9. c. 46. inqviens: *Mature tamen omnibus hinc inde pensatis, probabilius profecto esse crediderim, posse aliquos viros spirituales, tantopere in exercitiis spiritualibus, & in familiaritate divina proficere, ut absque ulla temeritate possint certo & absque ulla haesitatione credere, se invenisse gratiam & remissionem peccatorum suorum apud Deum.* Hanc sententiam suam multis egregiis argumentis ibidem confirmat. Verba argumenti 9. quo utitur, dignissima putavi adscriptu: *Familiaritas item & eximius amor, quem Canticum canticorum indicat Deum habere in ecclesiam, atque ei nonnunquam ostendere, exigunt revera, ut aliqui sint semper viri spirituales in ecclesia, quibuscum Deus sic familiariter loquatur, quique certi sint & nihil dubitent de ipsius in eos amore. Illa insuper quies & securitas, qua plerique migrant de hac vita, illud ardens desiderium, quo charitas, cum perfecta fuerit, clamat: Cu-*

K 3

pio

* Carthusianus.] Nomine Dionysius.

pio dissolvi & esse cum Christo. Phil. 1. 23. illa laetitia, qua permulti exultant, dum intelligentes, sibi propinquum esse diem mortis, dicunt cum Davide psal. 122. 1. Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. alacritas etiam & admiranda constantia martyrum, & despicientia omnium tormentorum, quam prae se ferebant, quid aliud sunt, quam testimonia apertissima certitudinis moralis, quam habebant de sua iustitia & gratia apud Deum? Et hoc probat ex testimonio S. Ambrosii in Expositione psalmi 119. 52. Memor fui iudiciorum tuorum a seculo, Domine: nec non Hilarii, Martini, & Paulini, aliorumque sanctorum exemplis. Denique sic concludit: Licet haec argumenta non extorqueant certitudinem fidei, certe non plene multis ex illis satisfi, nisi concedamus, possibilem esse iustis aliquam certitudinem de sua gratia, alienam ab omni metu & formidine. (Pag. 97.) Idem etiam ad suam sententiam roborandam multa adducit Patrum testimonia, & speciatim Augustini lib. de Bono perseverantiae, cap. 2. Sicut ergo sanctus. & Bernardi serm. 69. in Cant. Quod si quis. ibidem: Si senserim aperiri mihi, serm. 37. Ideo spes non confundit. & Epist. 107. At vero si superna.

Hanc sententiam licet Bellarm. lib. 3. de Justif. cap. 11. p. 364. non probet, ut nec Vasquez in 1. 2. tom. 2. disp. 200. cap. 8. neque etiam alii rigidiores Romanenses, alii tamen illius etiam patris viri doctissimi probabilem esse putant, & problematicè defendi posse, ut Ruardus Tapperus

Art. 9.

Art. 9. Lov. de Fide & spe, pag. 79. & 80. Pere-
rius disp. 9. in cap. 8. ad Rom. Thomas a Jesu,
recens scriptor romanae partis, de Oratione di-
vina, lib. 4. cap. 12. cujus haec sunt verba: *Ex his
constat, valde esse probabile, eos, qui ad hanc in-
fallibilem unionem singulari Dei beneficio fue-
rint sublimati, reddi de sua gratia & acceptatione
securos.*

Idem Vega concedit, hanc *certitudinem mora-
lem a fide divina*, bona ex parte, profluere; nam
lib. 9. cap. 47. scribit: *Quamvis fides infusa neque
inclinat nos ad assentiendum, neque faciat nos certos,
neque moveatur a Spiritu S. ut nullum efficiat nobiscum
immediate assensum, nisi eorum, quae ante ipsius con-
cursum, prius saltem natura, constat nobis esse a Deo
revelata vel ex iis deducta, tamen mediate ad certi-
tudinem moralem de nostra iustitia concurrat, & ei
debent perfecti bonam partem suae certitudinis mo-
ralis. Nisi enim per fidem assentirentur illi majori-
bus illis propositionibus de fide: Facienti quod in se
est, Deus non denegat gratiam: Convertens se
ad Deum ex toto corde, invenit & obtinet gra-
tiam ipsius; nunquam certitudinem aliquam
habere de sua gratia. Et per fidem hoc, quod
scilicet in gratia simus, sciri posse, ait, Concilium
Trid. non negare, sed tantum negare, sciri hoc
posse certitudine fidei. lib. cod. cap. 8. Immo
propter ecclesiae pacem, hanc certitudinem hac
ratione certitudinem fidei appellari posse ad-
mittit, cap. 47. (Pag. 98.) Quare recte dixit
Joh. Baconus certitudinem consequentem fidem.*

Quod si hoc putas esse satis, ut vocetur certitudo fidei, non admodum repugnabo, sed ut pax sit, & omnes in unum conveniamus, dabo, quod vis, & me volens victusque remittam. In eandem sententiam Tapperus Art. 9. Lov. de Fide & spe: *Quae, inquit, certitudo (scilicet moralis) quamvis multa sit inferior certitudine fidei, quia tamen a sentiatis scripturae pendet, ideo fides, quae est virtus infusa, mediate ad illam inclinatur, & si accedat confidens voluntas illa, magis firmare potest assensum, sed non adeo, ut liceret pro eius veritate, quod scilicet in gratia sit, mortem subire.* In quo est differentia ab assensu fidei. Hanc Tapperi sententiam diximus Ben. Pererium loc. cit. probare.

Mart. Eifengrenius (vid. p. 93.) in Tract. apologet. de Certitudine gratiae pro can. 3. sess. 6. Concil. trid. *Haec, inquit, est sacri Concilii doctrina & sententia, prout Ecclesia catholica & universi christiani doctores nunquam aliter docuerunt, tales homines si legitime ac strenue sese exercent in bonis ac piis operibus, & jam iustificati indies magis ac magis iustificari satagant, tunc temum pro certo statuere, & indubitatam fiduciam concipere posse, sibi remissa peccata, seque in gratia Dei constitutos.* Imò affirmat, eum, qui suam recte examinabit conscientiam, peccatorum remissionem & gratiam Dei non solum sperare, verum etiam credere posse ac debere eo sensu, quo verbum *Credo* communiter solet intelligi, & ea certitudine, qua credit, bis duo esse quatuor; item, totum esse majus qualibet sui parte; item, qua credit ea, quae oculis suis vidit &

mani-

manibus suis contrectavit. Liber hic approbatus fuit a Collegii theologici ingolstad. decano, ut patet ex ejus fine : in Indice tamen librorum prohibitorum atro stigmate notatur, & libris prohibitis accensetur.

Progrediuntur adhuc etiam ulterius alii Romanenses, & hominem fidelem vel posse, vel etiā debere certitudinem fidei divinae sine peculiari revelatione habere de propria gratia & iustitia affirmant. Pro hac sententia citatur communiter inter veteres Scholasticos Alexander halensis part. 3. q. 61. membro 7. art. 3. sed multum renitente A. Vega, l. 9. c. 36. aliisque, & Joh. Baconus carmelita in l. 3. Sent. dist. 30. q. 1. qvi disertè quidem non dicit, cuiquam esse certam suam gratiam certitudine fidei, sed tantum certitudine consequente fidem. Pag. 99.) Quod quomodo exponi possit, Vega supra monstravit, p. 98. Sed quam recte, viderint Carmelitae, aliiqve, qvi sententiae huic favent. Auctor Enchiridii colonienfis in tr. de Justif. p. 139. (vid. p. 95. 433.) Non jubemus, ut perpetuo de justificatione & acceptatione sua dubitent homines, &c. Fatemur enim, verum esse, ad justificationem hominis omnino requiri, ut homo certo credat non tantum generaliter, quod propter Christum vere poenitentibus remittantur peccata, sed & quod ipsimet homini credenti remissa sint propter Christum, per fidem. Multa in hanc sententiam ibidem legere est p. 138. 140. & 141. Consulat diligens lector auctorem ipsum. Bellarmino proinde l. 3. de Justif. cap. 3. liber is hac in re, ut in multis

aliis, censura ecclesiastica dignus esse videtur: certe, inquit, in modo loquendi doctrinam Melancthonis & Bucer valde redolet. Sed multo modestior fuit Georg. Cassander in sua Consultatione art. 4. de Justif. *Quod vero additur in Confess.* (scil. augustana) Cum credunt, se in gratiam recipi & peccata remitti propter Christum, merito ut impium rejici non debet, cum eruditissimorum virorum ex iis, qui Catholici nomen retinent, sententiae & scriptis consentiat, ut patet ex *Enchir. chr. religionis in Concil. provinciali colonienſi an. 1536. edito*; qui liber ab omnibus eruditioribus theologis, etiam per Italiam & Galliam, summopere fuit collaudatus, ut qui summam sententiae veterum de christiana religione, ex quorum scriptis quasi conformatus est, pulcherrime referat: deinde verba a nobis allegata recitat. Idem tamen Cassander hoc eodem loco, hujus auctoris (ut & aliorum quorundam Romanensium proxime citandorum, & non Protestantium tantum) sententiam improbat, quod scil. hanc certitudinem fidei, natura ipsam justificationem & remissionem peccatorum praecedere dicat: Nam, inquit, donum est Spiritus S. quod justificatis infunditur, quod de remissione peccatorum, & gratuita Dei Patris erga se benevolentia certi redduntur. Autores Antididagm. colon. tit. de Justif. idem insinuare videntur: dicunt enim, nos justificari per fidem, qua absque dubitatione firmiter confidimus, nobis, qui veram peccatorum poenitentiam habemus, peccata nostra propter Christum esse remissa, & de eo oportere intrinsecus per fidem, Spiritus sancti

sancti testimonio certificados nos esse, & iustitia inhaerente, tanquam quodam exprimento, certificari, nobis remissionem peccatorum esse factam. Vide Vegam l. 9. c. 7. Pag. 100. Auctores libelli Ratisbonae Imperatori oblati A. 1541. art. 5. de Iustif. hominis: *Docendum est, ut, qui vere poenitent, semper fide certissima statuunt, se propter mediatorem Christum Deo placere.* Claudius Guillaudus, bellijocensis, in Collatione sua in Pauli Epistolas, secunda consideratione ultimi capitis 2. ad Timoth. dicit, *certos nos posse esse de nostra salute, non ex nobis, neque ex natura nostra, aut ex operibus vel prosperis vitae successibus, sed per fidem verbo & promissionibus Dei innixam, qui dicit: Omnis, qui audit vocem filii Dei, & credit in eum, habet vitam aeternam.* Haec verba citat Vega. Sed in editione parisi. 1548. ex recognitione auctoris haec omissa sunt, neque absque suspitione aliqua; quandoquidem in Indice libr. prohibitorum vetatur Collatio hujus auctoris, nisi expurgetur.

In hanc sententiam citari possent quaedam ex Jo. Fero, praesertim in commentario loci Joan. 14. 16. *Et alium paracletum dabit vobis.* Sed de mente Feri multum inter se Dominicus a Soto & Michael Medina contendunt, ut legere est apud Sixtum senens. Biblioth. S. l. 6. annot. 210. Vide etiam Ferum in verba Johan. 17. 6. *Tui erant, & mihi eos dedisti.* & eundem Sixtum sen. lib. cit. annot. 215. Jo. Baptista Folengius, professione benedictinus, (ut Ferus franciscanus), vir insigni pietate

pietate ac charitate praeditus, & de emendatione ecclesiae & scissura tollenda serio cogitans, (sic eum, nec immerito, laudante Jac. Aug. Thua-
no Histor. lib. 23.) ab hac sententia alienus non
fuit, aut saltem non fuisse videtur in Comment.
ad I. Johan. 5. 4. & 13. *Nolim, inquit, (sic me ser-
vet Deus) quae huc usque de certitudine habenda in
fidei causa diximus, cuiquam scandalo esse atque ad-
mirationi. Diximus, quae nos quotidie experimur,
ut alii hac in re afficiantur, nec quaero, nec scribo.
Ad haec, qui verbum illud scimus tam frequens apud
Johannem unquam intelligere potero?* pag. 101.) Flo-
rentinus Volusenus, scotus, catholico-romanus,
de Animi tranquillitate pag. 384. scribit: *Omnes,
quicumque legitime christiani sunt, debent certo per-
suadere sibi, se gratos & esse, & perpetuo fore Deo pa-
tri, propter eum, quem amplectuntur, Christum.* Hu-
jusque sententiae affirmat ibidem fuisse roffen-
sem episcopum, & Hieronymum Hangestum,
theologum parisiensem. Immo hanc senten-
tiam multi Catholici, teste Vega, ante editum de-
cretum de justificatione, probabilem censuebant
Tridentini, & compluribus argumentis svadere il-
lam conabantur.

Verum non tantum ante editum decretum
illud, ut ait Vega, Ambr. Catharinus cum suis
fautoribus Ant. Marinaro carmelita (cujus ora-
tio ad Patres in Concil. trid. hac de re & qui-
busdam aliis dominica 4. in quadragesima 1546.
habita publice extat inter Acta concilii illius
excusa Venetiis 1552.) immo Carmelitanis omni-
bus,

bus, quorum doctor Joh. Baconus eam tuebatur, cum Episcopis etiam quibusdam, acerrime contra Sotum aliosque defendit *certitudinem fidei, etiam divinae*, quam sic neque aliter nuncupandam esse censuit, quia scilicet nicitur iis, quae in Dei verbo revelata sunt & testimonio Spiritus S. Rom. 8. 16. & hanc privatam cujusque iusti fidem aequae certam atque indubitatam esse, ac fidem catholicam, licet non sit omnino cum ea eadem. Atque haec sententia, utut prima facie ardua visa fuerit ipsis Catharini fautoribus, diligenter tamen post expensis rationum momentis, admirabili spectatissimorum et praesulibus consensu fuit approbata, (ut refert fide dignissimus auctor Hist. concil. trident. lib. 2. pag. 345. edit. latinae lips. 1699.) inclamante Soto, *nimis favorabilem esse Lutheranis*, aliis vicissim asserentibus, Lutherum non fuisse damnandum, si dixisset, *post justificationem* fidem illam sequi, sed damnari, quod dicat, eam esse fidem justificantem. Sed etiam post decretum editum, caeteris omnibus de propria opinione decedentibus, & simpliciter auscultantibus, ut jacet, decreto Synodi, (ut refert Sotus in Apolog. contra Catharinum cap. 2. si modo fides illi hac in re habenda sit) idem Catharinus Pag. 102. eandem sententiam animose contra Sotum defendit, contenditque, contra suam sententiam nihil pronunciasse Synodum trid. in Confirmatione defensi. cathol. sic scribens: *Quod ego in primo meo detexti libello, quem ad praesidentes ipsi concilio (quorum al-*
ter,

ter, Deo gratia, summus est pontifex, *Julius tertius*) & ad ipsam Synodum destinavi, eos alloquens his plane verbis: *Addo, quod saepius hoc protestati sint ambo praesidentes, & specialiter in hac controversia, tum in conventu patrum, tum vero in congregatione theologorum, & ambos audivimus contestantes, non videri sibi quaestionem hanc discussam satis ad decisionem. Immo ipsamet S. Synodus his declaravit, huius rei definitionem tunc omittendam esse, & in aliud tempus servandam, sicut in Actis possit apparere. Denique ipse titulus 9. capitis hoc manifestat abunde, qui sic habet: Contra inanem haereticorum fiduciam. Haec ille. Sed de concertationibus Catharini & Soti super hoc argumento, lege ipsorum Apologias & Antapologias, & de ambigua, immo *vafra & versuta illius decreti Conc. tridentini*, ad quod uterque provocabat, concinnatione a Patribus illis facta, ne partibus dissidentibus displicerent, vide Hist. concil. trid. lib. 2, pag. 386. Quia immo nuper Jo. Barnesius, anglus, monachus benedictinus doctissimus ac pacis ecclesiae amantissimus, in suo Catholico-romano pacifico manuscr. tit. de Justificatione eandem sententiam defendit, inquit: *Cum fides sit scientia salutis, & credere sit quoddam scire, sequitur, quod, quemadmodum sciens scit se scire, ita quisquis ad salutem credit, credit, se credere salvari fide. Ex quo efficitur, pie in Christum credentes, certos esse de sua fide iustificante, qua iusti sunt. Et in Paralipomenis certitudinem hanc infallibilem salutis operose Probare satagit ex Patribus, ex veteribus**

ribus